

WESTPHALIA DVCATVS.

archiepiscopi Colonienfes: tum & Sufatum cœpit parere ecclesiæ Colonienfi, usque ad tempora, quæ nunc scribimus, nam hoc tempore colla subdixerunt jugo: quia se dicerent ab archiepiscopo in antiquis libertatibus artari, ad Adolphum Clivensem ducem defecerunt, cui, salvis immunitatibus antiquis, sacramentum fidelitatis præstiterunt: multis interim nunciis ac litteris hinc atque inde missis; ad ducem, ut abstineret aliena ditione: ad urbem, ut ad cor rediret, agnoscens, quem debuit, Coloniensem archiepiscopum, dominum in temporalibus & spiritualibus. Sed cum toto triennio his atque aliis viis nihil proficeretur, ad arma peruentum est utrinque comparata. Iohannes Clivenfis, Adolphi filius, tum filius-familias, cum valido præsidio urbem tuendam ingreditur, passus in ea obfideri. Theodoricus autem archiepiscopus, comparatis copiis, ad obsidendum se parat. Venerat illi auxilio Wilhelmus Lantgravius Thuringiæ, Dux Saxonix; inter agmina sua ducens duo millia quingentos ex Bohæmis, homines armis jam diu innatos, & qui sine exemplo crudeliter defævirent. Obsedit ergo archiepiscopus Sufatum multis millibus armatorum: oppugnavit autem toto mense, raro intermittens bombardarum tonitrua. Sed cum ea non terrent cives, apparatus magna multitudine scalis, statuit variis simul locis invadere murum. Erat ea scalarum multitudo, & id roboris, ut unâ tres, aut quatuor, in quaque starent, & ascenderent. Oppidani adversus ea miserunt lapides ac trabes. Sed omnium erat validissimum defensionis genus: Sartagines in muris disponebant per intervalla, subiecto igne, pulvis in aquis bulienti fervore miscebant: hunc liquorem capacibus vasis fervescens fudere in armatos, scalis incum-

bentes: exuperabat ea vis omne genus tormentorum: in ipsis armis suis ardore excruciatifufocabantur: tormenti genus incomparabile. Tali tum modo defensi muri, periire ex scandentibus plurimi, qui pro suo debito primi venerant ad arma, nam Bohæmi facile cessere indigenis honorem, ut militia prælati, primi essent in periculis. Archiepiscopus, eo accepto incommodo, oppugnationem deseruit. Ex hoc tempore Sufatum in jure ducis Clivenfis permanebat. Hactenus ille.

Tota regio fere est montosa, nisi ubi Lupiam respicit, quo loci in amœnissimam & fertilissimam planiciem definit. Omnia vitæ necessaria, licet non in omnibus locis, copiose habet. Frumentum in planicie, pascua & prata in convallibus, ligna & feras in montibus altis, copia incredibili. Fluvii hujus regionis & fontes, vix numerabiles, magno murmure strepituq; prætereuntes reficiunt, quorum fluminum princeps Rura, qui omnes reliquos propemodum absorbet, & Rheno, non procul Duyfburgio infert. Reliqui sunt *Lena, Mona, Rora, Alma*, qui Lupiæ, & *Dymela*, qui Visurgi miscentur, aliique anonymi. Omnes optimis delicatissimisque piscibus abundant. Insuper metalla habet omnis generis, *aurum, argentum*, (licet ob aquarum copiam fodinæ non lucrosa, ideoque neglectæ) *cuprum, ferrum, plumbum, vitriolum, alumen & sulphur*. quibus addo *marmor*, & lapides omnis generis, imprimis quibus tecta constant, vulgo *Schifferstein*. Metropolis *Werla*, pingui solo & felici sita, salinis celebris, curiâ insignis. Nobilitas antiqua & copiosa, gens robusta, ingeniosa, cuivis coelo assueta, selectos præbet milites. Vicinos habet *Marck, Munster, Lippe, Paderborn, Waldeck, Hessen*, & Comites *Westwaldiæ*.

Regionis
indoles.

Flumina.

Fodinae.

Metropolis.

